



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Titulus I. De Vita Et Honestate Clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

LIBER TERTIUS
 DECRETALIUM
 GREGORII IX.
 P A P Æ.

Remissis illis in secundo Libro Decretalium, qua de Judicijs Ecclesiasticis, eorumque processu, & actis probato-rijs, sententiâ, appellatione &c. quæri poterant, ordo videtur exigere, ut etiam de illis rebus agatur, quæ so- lent in judicium adduci; & quidem in hoc tertio Decre- talium Libro de Clericorum & Religiosorum, qui sunt præcipua membra Communitatis alicujus, juribus & obligationibus. De Clericorum proinde, ac Religiosorum Juribus, & Obligationibus fit

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

CAPITULUM I.

Ut Laici.

PARAPHRASIS.

Laici, dum Sacra Mystèria Missæ celebra- tur, intra cancellos prope altare stare, aut sedere non debent; ea enim pars, quæ altari proxima est, & ab alijs Ec- clesiæ partibus, cancellis dividitur, Clericis præsentibus tantum patere de- bet; ita tamen, ut etiam Laicis, ipsi- que faminis ad offerendum, & commu- nicandum, & orandum accessus ad a- ram esse possit. Desumptus hic Canon est ex Concil. Turonensi secundo.

SUMMARIUM.

1. Clericorum nomine simpliciter prola- to in stricta quidem acceptione, nec

Episcopi veniunt, nec alij in digni- tate constituti Prælati, neque etiam Ecclesiarum Cathedralium Canoni- ci, neque Monachi, aut Religiosi; ob peculiarem tamen rationem, tam hoc, quam alijs sequentibus hujus Libri Titulis, Clericorum nomine, omnes illi veniunt, qui Clericorum privilegij gaudent.

2. Triplex Locus in Ecclesia distinguitur.

Advertendum primò, præmitti hunc Titulum, quod velit Ec- clesia, ut Clerici, sicuti gradus dignitate, & multorum privi- legiorum prærogativis &c. Laicos præce- dunt, ita morum etiam, & vitæ honesta- te, velut in sortem Domini vocati, non tantum præluceant laicis, sed gradu suo,

A

&

& suis se privilegijs dignos faciant; habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, ut ait Trident. *sess. 22. de refor. c. 1.* nil nisi grave, moderatum ac religione plenum præferentes, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Et quamvis Clericorum nomine simpliciter prolato, in stricta acceptione, & prohibitoria, nec Episcopi veniant, nec alij in dignitate constituti Prælati Ecclesiastici, neque etiam Ecclesiarum Cathedralium Canonici, neque Monachi, sive Religiosi, *c. Quia periculosum 4. de sent. excom. in 6. cap. sedes Apostol. 15. de rescript. prout etiam post Abbatem & plures alios notat Felinus in c. Non dubium 5. de sent. excom. n. 1.* quia tamen morum, ac vitæ honestas, aliæque plura, quæ tam hoc, quam sequentibus Titulis statuuntur, omnibus in Clero constitutis, ac potissimum Ecclesiarum Prælati, aut Dignitate Ecclesiastica conspicuis &c. conveniunt, hinc in hoc etiam Titulo Clerici nomine omnes illi veniunt, qui Privilegijs Clericorum fruuntur, quamvis primâ tantum tonsurâ initiati forent, prout *cum, & post Abbatem, in rubricam hujus Tituli communiter advertunt AA.*

Advertendum secundò, tres communiter locos juxta antiquam consuetudinem in Ecclesia distingui. Unus est propinquus altari, in quo stant, aut sedent Sacerdotes, & qui Missæ sacrificio interveniunt: de hoc sermo est in *prima parte hujus Canonis, & in Can. 13. Concil. Bracarenensis primi tom. 2. Concil. Alter locus est, qui in choro includitur, plerumque cancellis, de quo sermo est in altera parte Canonis, quòd videlicet intra chorum, dum divina mysteria peraguntur, Laici manere non debent, sed Clerici tantum psallentes. Sicuti etiam habetur in c. Sacerdotum. 30. dist. 2. de consecratione. Verùm extra celebrationem officiorum Laici non prohibentur orandi causâ chorum ingredi, sed & sub Missæ sacrificio communicandi causâ, vel ad altare*

offerendi; imò etiam propter consuetudinem cohonestari potest, ut Laici, præsertim viri, tempore sacrorum officiorum in choro sint, ita tamen, ut Clericos psallentes confabulatione, aut risu non interturbent. Tertius denique locus est extra chorum, qui Ecclesiæ navis dicitur, in hoc Laici manere debent, dum sacra mysteria celebrantur.

CAPITULUM II.

Clerici. I

SI Clericus arma portet, vel usurarius sit, excommunicari debet, (ita tamen, ut hæc excommunicatio ferenda tantum sententiæ sit, si post admonitionem contumacia accesserit) consuetudo tamen permittit, ut, dum iter faciunt, arma defensoria deferant.

CAPITULUM III.

Ut quisque.

PARAPHRASIS.

Unusquisque Parochus, seu curatus, Clericum suum habere debet, qui cum ipso canter epistolam, aut lectionem legat, qui & scholas habere, & Catechismum, seu Fidei Christianæ fundamenta juventuri tradere possit.

SUMMARIUM.

1. Curati reditus etiam pro ministro alendo sufficere debent.
2. Evangelium, aut epistolam, sub sacrificio Missæ solemniter, & in vestibus officio tali proprijs, ad cavendam irregularitatem cantantes, ordinem ad has functiones requisitum habere debent; & quamvis aliqua circa hæc immutare possit consuetudo, non omnia tamen sine difficultate approbari possunt.
3. Curati obligantur, ut per se, vel per alios idoneos, fidei rudimenta juventutem, & rudem populum doceant.

Notan-

1 Notandum primò : Curatus tantam reddituum foundationem habere deberet, ut Ministrum Clericum alere posset, sicuti etiam annotatū est in c. *proposuit. 6. de filijs presbyterorum. & sumitur ex c. 1. cau. 1. q. 2.*

2 Notandum secundò : Evangelium, Epistolam, aut lectiones sub Missæ sacrificio solemniter cantantes in pulpito, & sacris vestibus induti, debent esse Clerici ad hoc ordinati. c. 3. *dist. 92.* alioquin irregularitas contrahitur. c. 1. & 2. *de Clerico non ordinato ministrante*: vide, quæ docui lib. 1. *tra. 5. p. 5. c. 3. n. 2.* Porro tamen per consuetudinem multis in locis obtentum sit, ut officium cantandi & altari ministrandi absque vestibus solemnibus, & ordinatorum proprijs, etiam Laici subeant: tamen in Germaniæ nostræ mos, ut sacerdotes in pagis absque ministro respondente missas dicant, difficulter coonestari potest, cum ex antiquissima traditione aliquis loco ac vice populi sacrificanti respondere, debeat, teste Inno. 3. lib. 2. *de Mysterijs Missæ c. 25. S. Tho. 3. p. 9. q. 83. a. 5. ad ult. & alijs apud Suar. eadem parte dist. 87. q. 1.* Quare in Concilio Basiliensi ante annos 200. *sess. 21. c. de his, quæ in missa &c. inter Ecclesiarum non tolerandos abusus numeratur*, si sacerdos missam privatam sine ministro celebret, & in Concilio ultimo Moguntino Provinciali, quod habitum est anno 1549. *c. de Missæ officio*, ita decernitur: veterem canonem instaurantes prohibemus, ne quis sacerdos missarum solennia publica celebrare præsumat, nisi ad minus, duobus (tanquam ministris) præsentibus. Quod si in privata Missa commodè fieri id non potest, ad minus, adsit unus, qui respondentis locum suppleat, sed ita, ne sit proles illegitima, quam omnino patre celebrante, altari adstare prohibemus; multò minus concubina, siquam habuit.

3 Notandum tertio: Curati secundum sacros canones obligati sunt per se, vel per alium fidei Christianæ fundamenta,

orationem dominicam, symbolum Apostolorum, præcepta Dei, & Ecclesiæ &c. iuventuti, & rudi populo tradere.

CAPITULUM IV.

Si quis.

PARAPHRASIS.

Canon iste sumptus est ex Concilio Romano sub Gregorio secundo cap. *ulti.* ubi ita legitur: si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit. Responderunt omnes tertio anathema.

SUMMARIUM.

Præcipi debet Clericis, qui in sacris sunt, sub pœna excommunicationis ferenda sententia, ut convenientem suo statui tonsuram deferant.

Notandum. Clericis, qui in sacris sunt, maxime verò Religiosis, præcipi debet, ut tonsuram Ecclesiastico suo statui convenientem ferant: qui si admoniti non pareant, excommunicandi sunt, ita enim intelligi debent verba ista, anathema sit, id est, fiat per iudicis sententiam, sicuti Gl. hic monet, & Innocentius in c. *si quis ex Clericis. 23. dist. 23. & dixi lib. 1. tra. 5. p. 1. c. 2. in fine.* Porro, quæ dicta sunt de tonsura, simili ratione intelligi debent de habitu Clericali; prout docui lib. 5. *tra. 9. c. 12. n. 2.*

CAPITULUM V.

Clericus.

Non est concessum Clerico, ut comam aut barbam nutriat; sumptum id est ex Concilio Carthaginensi 4. *can. 44.* nam olim in occidente Clerici tonsi esse debebant, neque licebat ipsis comam nutrire, aut barbam, sicuti annotavi lib. 5. *tra. 9. c. 12. n. 2.*

CAPITULUM VI.

Clericus.

SI Clericus non in sacro ordine constitutus, nec religionem professus, tonsu-

râ dimissâ uxorem duxerit, eam retinere cogatur : si tamen virginem acceperit, & monogomus sit, atque Ecclesiâ seruiat, iterum tonderi debet, ut canonicis & fori Clericalis privilegio gaudere possit. De qua re dixi *lib. 1. tra. 5. p. 1. c. 3. n. 2.* & dicitur infra *c. Ioannes, 7. de Clericis conjugatis.*

CAPITULUM VII.

Clericus.

SI Clerici comam, vel barbâ nutriant, ab Archidiacono etiam inviti tonderi debent. Ita rescriptit Alex. 3. Papa ad Cantuariensem Archiepiscopum, & consentit *Capitulum Clericus. 5. h. tit.*

CAPITULUM VIII.

Monasteria.

PARAPHRASIS.

Qui sanctimonialium Monasteria absque rationabili, & manifesta causâ frequentare præsumpserit, per Episcopum prohibeatur : si verò non destiterit, & Clericus sit, ab officio Ecclesiastico suspendatur ; si Laicus sit, excommunicetur.

DE hac reagit Bonifacius VIII. in *c. 1. de statu Regularium in 6.* quam constitutionem innovavit, & additâ censurâ auxit *Trident. sess. 25. c. 5. de regularib.* ita, ut hodie nemini sub excommunicationis censura ipso facto incurrenda, cujuscunque conditionis, aut sexûs fuerit, intra septa Monasterij Monialium ingredi liceat, absque facultate, in scripto impetrata, ab Episcopo, aliôve superiore, cui Monasterium subiectum est, quam licentiam ipse mutare non possit, nisi in casibus necessarijs. Explicavi hanc constitutionem *lib. 4. tra. 5. c. 12.*

CAPITULUM IX.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius VIII. Clericos quorundam Ecclesiarum Collegiarum dissolutè vivere, idè auctoritate Apostolica statuit, quòd Episcopi eorum, Ecclesiarum facultatibus, proventibus, & expensis diligenter inspectis, ponere possint in ijs sacris Collegijs certum numerum Clericorum, & decernere, ut bona eorum in communi possideantur, in una domo degant, ac vescantur ; siqui verò contradictores fuerint, liceat ipsis Episcopis, per suspensionem ab officio, & beneficio, vel si opus fuerit, per graviores pœnam, Clericos ad observationem compellere, remota appellatione. Concedit quoque eisdem Episcopis, ut si quisquam eorum, qui in communi vivunt, ob manus injectionem in socium Clericum, Canonicis excommunicationem incurrerit, talem absolvere, & reconciliare possint, nisi facti atrocitas aliud exposcat.

SUMMARIUM.

1. Quòd olim seculares etiam Canonici sub uno superiore in communi viverent, hic & alibi habetur.
2. Certus numerus in Ecclesia statuendus est, juxta proportionem reddituum.
3. Percussiones se invicem sive in communi viventes Clerici, ab Episcopo proprio absolvi possunt, nisi atrocis sit percussio.

NOTandum primò, olim etiam seculares Canonici, in collegijs simul sub Præposito, & Decanis debebant, certâ ipsis vivendi regulâ constitutâ, unde & Canonici, id est, regulares dicti sunt. Constat hoc ex *Concil. Turonensi 3. sub Leone 7. tempore Caroli Magni celebrato. c. 23.* Ubi de Clericis civitatum, qui in Episcopis

pijs conversantur, decernitur, ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, & in uno refectorio refectorio &c. In *Concil. Moguntino circa idem tempus celebrato videlicet anno 813. c. 9.* decernitur, ut Canonici Clerici canonicè vivant, & nihil sine licentia Episcopi, vel Magistris eorum agere presumant in unoquoque episcopatu, & ut simul manducent, & dormiant &c. & in suo claustris maneat, & singulis diebus manè ad lectionem veniant, & audiant, quid eis imperetur; ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum Canones suis Magistris exhibeant. Veruntamen ab hac eos vivendi ratione postea deflexisse constat, ita tamen, ut per Episcopos ex causa justa in ordinem redigi possint, prout ex hoc cap. colligitur.

2. Notandum secundò: numerus Canonicorum in Ecclesijs institui debet secundum facultates & redditus singularum, spectatis etiam expensis, & oneribus, ita *hic, & in c. 1. Concilij Hispanensis sub Gregorio I. tom 2. Concil.*

3. Notandum tertio: si Clerici in communi viventes unus alterum percutiant, & idcirco Canonis excommunicationem incurrant, ab Episcopo suo absolvi possunt, nisi percussio atrox sive enormis sit. Vide, quæ docui *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 5. n. 10.*

CAPITULUM X.

Cum ab omni.

PARAPHRASIS.

Intellexit Innocentius III. de Prælati & Clericis Lombardia, quod, cum ipsis à Sede Apostolica causæ delegarentur, sequentes iudicium secularium consuetudinem, de decima, aliave parte litis, præter victualium expensas, cum litigantibus paciscerentur, receptis etiam pignoribus: perpendens verò Pontifex, quod Clericis Ecclesiastici redditus assignati sint, ex quibus se honestè sustentare possint, ideòque ad turpia lucra, &

iniqua munera, non deceat ipsos extendere manus suas, mandat eis, ut ab ejusmodi exactionibus in posterum abstineant, & processum judicium litigantibus gratis exhibeant, non obstante, quod aliqui præterdere solent, ea postulari pro assessoribus iudicum, cum iudici ne justum quidem iudicium vendere liceat, & sententiæ iudicium venales ab ipsis quoque legibus secularibus reprobentur.

SUMMARIUM.

1. *Judex Ecclesiasticus à summo Pontifice delegatus non potest accipere à partibus munus seu salarium pro actu iudicandi; nisi modica & liberaliter oblata, & esculenta aut poculenta talia sint, quæ paucis diebus absumi possint; vel extra domicilium abire debeat iudex talis ad cognoscendam causam; quo in casu expensas integras à partibus accipere potest, nisi pauperes essent.*
2. *Judici ordinario nec de iure Civili licitum est promunere iudicandi, munera accipere, quamvis sponte offerantur, & sint esculenta tantum, aut poculenta.*
3. *Ita ut si in causis civilibus munera accipiat, peccet contra iustitiam; Simoniam verò committat, si pro iure Ecclesiastico sponte quid accipiat.*
4. *Consuetudine tamen in quibusdam casibus introduci potest, ut iudici seculari, & assessoribus, à partibus moderatum aliquid solvatur.*
5. *Qua consuetudo facilius cohonestari potest in iudice delegato.*
6. *Qua sit differentia inter xenia, & sportulas?*
7. *Notarijs tamen, Scribis, Pidellis, Advocatis & Procuratoribus &c. laboris sui mercedem exigere, non prohibetur.*

Notandum. Iudex Ecclesiasticus à Pontifice delegatus, pro labore iudicandi non potest à partibus accipere munus

nus seu salarii *c. statutum. 11. §. Insuper de rescriptis in 6.*

Excipiuntur tamen esculenta, & poculenta; dummodo sint modica, quæ paucis diebus absumi possunt, & liberaliter offerantur; deinde si Judex delegatus extra domicilium suum abire debet ad causam cognoscendam, tunc expensas integras à litigantibus, nisi pauperes sint, accipere potest, *cit. §. Insuper, & tradit Abb. hic n. 13. Mol. tra. 2. de justitia disp. 34. n. 5. Idem in jure Civili statutum in auth. ut iudices sine quoquo suffragio &c. §. scriptum est, collatione. 2.*

² Sed quid dicendum est de Judice Ecclesiastico ordinario? Resp. & dico primò: ordinario, videlicet Episcopo, & Vicario, seu Officiali ejus, item Decanis, aliisque Ecclesiasticam jurisdictionem exercentibus, licitum non est, ob judicandi munus, munera accipere, ita sumitur *ex hoc c. & docent omnes.* Imò verò hoc ipsum etiam Civili Jure prohibitum est Judicibus ac Præsidibus, ne munera accipiant. *L. solent. 6. ff. de off. Proconsulis, & L. venales 7. C. quando provocare non est necesse.* Ubi sententia talis, quæ ob mercedem fertur, irrita dicitur. Ratio dari debet, quia iudices ex publico salaria & stipendia sua habent, ob quæ ex justitia obligati sunt ad justitiam partibus implorantibus ministrandam; similiter autè & iudices Ecclesiastici Beneficia, aliòsque proventus Ecclesiasticos accipiunt, quibus contenti esse possint.

³ Adverte tamè discrimina esse inter Judicem sæcularem, & Judicem fori Ecclesiastici.

Primum, si Judex in causis civilibus munus accipiat, tanquam pretium seu mercedem, contra justitiam tantum peccat, & ad restituendum obligatur, sicuti docet *lib. 3. tra. 4. de justitia c. 4. assert. 9.* Sin autem Judex Ecclesiasticus pro sententia ferenda, circa jus Ecclesiasticum, rem aliquam temporalem, ut pretium accipiat, Simoniam etiam crimen committit, sicuti annotavit *Gl. in c. vendentes 10. v. justitiam causa 1. q. 3. Imola hic & Abb. n. 7.*

Secundum, per consuetudinem introduci potest, ut partes sæcularibus iudicibus, & assessoribus eorum solvere cogantur aliquid certum, salarii loco, sicuti tradit *Abb. hic n. 4.* dummodo id, quod solvitur, moderatum sit, & exactio, vel præstatio ita instituat, ut absit occasio justitiam pervertendi: sin autem exactio immoderata, aut irrationabilis sit, v. g. ut victor causa partem notabilem rei, in iudicium deductæ, iudicibus relinquere cogatur, aut si acceptiones munerum sine ullo discrimine iudicibus permittantur (præsertim, si etiam iudicium & assessorum officia vendi soleant) tum non apparet, quomodo consuetudo juris introduci possit, quandoquidem cum manifesto justitiæ ac Reipublicæ detrimento juncta est. At verò ut iudices Ecclesiastici, qui sufficientia stipendia, aut beneficia habent, munera seu salaria à partibus exigant, per consuetudinem non ita cohonestari posse videtur, *argu. hujus cap.* tum propter speciem & periculum mali, à quo Ecclesiastici magis, quam alij abstinere debent, tum propter periculum Simoniam, si causa spiritalis sit. Quamvis enim id vitium vitari posse videatur, si dicatur, pecuniam non accipi, ut pretium, sed ut stipendium vitæ, esto Judex sufficiens pro judicandi munere salarii habeat; quemadmodum simili ratione per consuetudinem introduci potest, ut fideles Parocho, alioquin sufficientes redditus habenti, in administratione Sacramentorum Baptismi, Matrimonij, Extremæ Unctionis, aut pro funere offerre teneantur, sicuti docet *lib. 4. tra. 10. c. ult. n. 16.* Respondetur tamen, discrimen esse, quòd oblationes istæ, cum pietatis causâ in se habeant, facilius per consuetudinem stabiliri possint, quàm præstationes, quæ fiunt pro actu judicandi: hæ enim pietatem non continent, sed turpitudinem ex parte exigentium, aut recipientium præferunt, præterquam, si in aliqua diocesi redditus Ecclesiastici tantum non sint

sint, ut iudicibus sufficienter ex ijs subveniri possit, ideoque manifestum fiat, munera seu xenia moderata à partibus exigi, ut stipendium vita.

De iudicibus Delegatis à summo Pontifice paulò alia ratio est; cum enim ob causas tales speciale salarium, aut stipendium non accipiant, ideo faciliùs coonestari potest per consuetudinem, ut à partibus accipiant, sicuti annotavit *Molina contra Syl. V. iudex. & Tabienam ibidem n. 7.* Siquidem etiam Civili Jure citata auctoritate ut *Judices &c.* Xenia omnia etiam in esculentis & poculentis sublata sunt, si Judex stipendium seu salarium ex publico habeat: Judices autem Ecclesiastici ordinarij omnes plerumque beneficia, aut stipendia sufficientia habent, ratione quorum obligantur ad iudicarias lites per se, vel per delegatos definiendas; quam ob rem non improbabiler putat *Molina n. 8.* quòd spectato communi jure, delegatus ordinarij inferioris, v. g. Episcopi, victualia ejusmodi, vel expensas accipere non possit à partibus, sed ab ordinario delegante, quippe ad quem, ut ponimus, ratione officij sui pertinet causas expedire, licet contrarium senserit *Gloss. in c. statutum. §. Insuper V. moderatas. de rescriptis in 6. Imola hic &c.* quòd omnis delegatus modica victualia, & expensas, si à domicilio discedere debeat, à partibus accipere possit; sed spectato jure communi sententia *Molina* mihi placet, nam eadem ratione *in cit. c. statutum. §. assessorem.* decernitur, si necesse sit, ut delegatus Papæ sibi assessorem assumat, salarium ei à partibus solvendum esse; & tamen communiter docent DD. *Abb. hic n. 14. Molina cit. disp. 84. n. 9.* & alij apud ipsos, si ordinarius

assessorem adhibeat, salarium non à partibus, sed ab ipso, qui ejus auxilio utitur, ordinariè præstandum esse.

Quæres, quæ sit differentia inter sportulas & xenia? Resp. Xenium esse veluti speciem quandam sportularum, nam Xenia pro esculentis, ac poculentis accipiuntur, quæ alicui adventanti offeruntur intra breve tempus absumentia; & hæc xenia, seu munuscula iudicibus permittuntur *in L. plebis scito 18. ff. de officio præsidis.* sed postea per supra allegatam auctoritatem moderatio adhibita fuit, ut xenia, non nisi sponte oblata, & ab alijs tantùm iudicibus, qui ex publico salarium non habent, accipi possent. At verò sportulæ per metonymiam dicuntur omnia munera, seu victualia sint, seu pecuniæ &c. quæ aut sponte offeruntur, aut exiguntur, & hæc iudicibus utroque Jure Civili & Canonico prohibita sunt, ne justitiæ opera venalia fiant.

Veruntamen pro executoribus sententiæ latæ, videlicet Notario, Scribæ, Pidello &c. sportulæ exigi possunt, *juxta auct. de litigijs. §. ad exaudandas. Collocatione 8.* idque etiam in ecclesiastico foro, dummodo moderatæ sint præstationes, atque potationes inter officiales in Curia non permittantur. Similiter verò Advocati & Procuratores laboris sui mercedem exigere non prohibentur, *juxta c. non licet. 71. caus. 11. q. 3.* ubi ex S. Aug. *Epist. 54. ad Macedonium dicitur:* non licet iudici vendere justum iudicium, & si liceat Advocato vendere justum patrocinium, & Jurisconsulto rectum consilium. Bene autem advertit *Gl. ibidem S. Aug.* loqui secundum legem positivam: at verò, spectatà lege naturali, secundum se, neque Advocatus patrocinium, aut Jureconsultus consilium suum, quatenus justum est, sicut nec Judex sententiam, quatenus justum est, vendere potest, cum opera justitiæ venalia esse nequeant. At verò tam Judex, quàm Advocatus, & Jurisconsultus vendere aut locare potest industriam.

peritiam ac laborem, quem adhibet in considerando, discutiendo, ac decidendo negotio, juxta ea, quæ docui lib. 4. tra. ult. c. ult. S. 4. Verùm cum munera animi prudentis excacare soleant, longè majus est periculum, si Judicij offerantur, qui causam arbitrio suo definire potest, quàm si Advocato aut Jureconsulto offerantur, quippe qui cause cum autoritate definiendæ potestatem non habet, sed tantùm muneribus, aut salarij magni spe permoveretur, ut diligentius & exactius causam instruat, Judicijque decidendam relinquat, qua in re rectè agit. Accedit denique, quòd Magistratus ex justitia jus dicere cogatur, à quibus tributa accipere solet, non autem ita Advocatus aut Jureconsultus partibus consulere.

CAPITULUM XI.

Deus.

PARAPHRASIS.

Cùm Livonienſes ad fidem Christi acceptandam parati eſſent, à Sede Apoſtolica ad eos, unà cum Episcopo destinati sunt Monachi, & Regulares Canonici. Verùm quia putabatur, quòd pagani, & neophyti propter observationum, & habitus diversitatem, scandalum accepturi eſſent, idèò mandat Innocent. III. ut non obstante Ordinis diversitate, omnes in unum vivendi modum, & honestum habitum, qui Evangelij prædicatoribus convenit, se conforment.

SUMMARIUM.

1. Uniformitas habitus, & eadem vivendi ratio inter eos, qui idem institutum tenent, & eadem exercent officia, multum juvat ad mutuam charitatem, & finis consecutionem.
2. Ita ut nonnunquam expediat, si absit scandalum, habitum Ordinis occultare seu occultare.
3. Et hinc in multis etiam ab observatione regule suæ excusatur Monachus, qui legitime ad Episcopatum,

vel Parochiam extra Monasterium transfertur.

Notandum. Uniformis habitus, eademque vivendi ratio inter eos, qui idem institutum tenent, & officia eadem exercent, multum valet ad mutuam charitatem inter eos, & populi ædificationem. Quam obrem hæc justa esse potest causa, cum Religiosi in Evangelio Christi gentibus prædicando occupati, habitum Religionis suæ exuant, aut occultent, si id necessarium esse videatur, ad fructum majorem referendum; si quidem ratio legis naturalis dicitur, quòd observatio regularis in vestitu, & alijs rebus non debet esse majoris boni impediens: quam ob rem etiam in c. 2. ne Clerici vel Monachi in 6. excommunicantur omnes Religiosi, qui habitum Religionis suæ dimittunt, cum moderatione, si temerè, & sine causa rationabili id agant.

Nonnunquam verò, si periculum aut scandalum ira vitari possit, expediet habitum non omninò exui, sed occultari, alijs superindutis vestibus, secundum Gl. hic V. professi. & Gl. in c. nova. 22. causa 16. q. 7. v. nec habitum. Quia id potius concedendum est, quàm habitum omninò deponere, quandoquidem saltem familiares sui ita eum agnoscere poterunt, quòd Religiosus sit, & ipsemet etiam Professionis suæ memot esse; quam ob rem non malè docuit hic Joannes de Lignano, & Abb. n. 4. Suar. de censuris disputat. 23. L. 4. n. 33. Religiosum non incurrere excommunicationem cit. c. 2 si retento habitu, eum alijs injectis vestibus occultet; tamen enim ponamus eum temerè & sine causa rationabili id agere, tamen non exuit habitum, quod in cit. c. sub excommunicatione prohibetur, sed minus aliquid agit, videlicet occultat habitum, tamen si contrarium docuerit Gloss. in clement. 2. v. extrinsecus hoc rit. Videri etiam potest Navar. c. 29. manual. n. 131.

Corollarium. Si Monachus aut Canonicus Regularis translatus sit ad Episcopatum

patum vel Parochiam, in multis absol-
vitur ab observatione Regulæ suæ, cum
debeat se in vivendi ratione conformare
alijs, quibuscum vivit ob charitatem augen-
dam, & scandalum amovendum, qua de
re *Abb. hic not. 1. & Gl. observanda*
in c. de Monachis 4. v. discedere
caus. 16. q. 1.

CAPITULUM XII.

Cum decorem.

PARAPHRASIS.

Intellexit Innocentius III. in quibusdam
Ecclesijs ludos theatrales institui, in
quibus ludibriorum spectacula, & lar-
varum monstra producantur; sed &
iplos presbyteros, diaconos, & subdia-
conos in præcipuis festivitibus talis
infantiæ ludibria exercere; quare man-
dat Episcopo loci, ut hujusmodi ludi-
briorum consuetudinem, seu potius
corruptelam tollat, ne per talem tur-
pitudinem Ecclesiæ decor inquinetur.

SUMMARIUM.

1. *Ludi theatrales, si inhonesti sint, in*
Ecclesia fieri prohibentur.
2. *Cæsarea etiam lege prohibetur, sub*
pænis corporalibus, ne quis sub sche-
mate Monachi vel Monialis &c. lu-
diibrij causâ, thearralia exerceat.
3. *Neque debent Sacerdotes, alique*
Clerici, admittere histriones & mo-
mor, qui obscæna exercent in nuptijs,
aut convivijs.

Notandum. Ludi theatrales, si in-
honesti sint, in Ecclesia fieri prohi-
bentur; secus verò si sint honesti, & ad
pietatem concitantes, sicuti docui lib. 4.
tra. ult. c. 7. n. 10. §. ad hoc genus & tra-
dit Gl. recepta hic v. monstra.

Eadem Glossa & Innocentius hic ad-
monet, Cæsareâ lege prohibitum esse au-
thent. *de sanctiss. Episcopis. c. ult. colla-*
tione 9. ne quis in schemate Monachi,
Monialis, alteriusve Ecclesiasticæ personæ
thearralia exerceat ludibrij causâ: poena
decreta est, ut corporalia supplicia susti-

neat, & exilio tradatur; quod notandum
est adversus novatores nostros, qui talia
interdum etiam in Imperialibus Civitatibus
agere audent, non enim à poena hac im-
munes sunt, cum Cæsareis antiquis legi-
bus perinde, ac alij obligentur.

Admonet etiam *Abbas hic n. 1.* quòd
Sacerdotes, alique Clerici sustinere non
debeant, seu admittere publicos histriones,
ac mimos, qui in convivijs, & nuptijs lu-
dicra, & sæpe obscæna exercent. *c. non*
sportet. 30. dist. 5. de consecratione. & tales
ludicra exercentes lucri causâ, publici vi-
delicet mimi ac gesticulatores, infames cen-
sentur. L. 2. §. ult. ait prætor. & L. atbleras 4.
ff. de his, qui notantur infamia, quam
obrem ad sacros Ordines promoveri non
debent. Sicuti etiam Innocentius hic
notavit.

CAPITULUM XIII.

Ut Clericorum.

PARAPHRASIS.

Clerici, maxime qui in sacris constituti
sunt Ordinibus, castitatem colere de-
bent, alioquin si quis in incontinentia
deprehensus fuerit, secundum Cano-
nicas sanctiones juxta delicti gravita-
tem puniatur: si quis autem ob eam
causam ab officio suspensus celebrare
præsumpserit, beneficijs privetur, ac
deponatur, quia duplicis culpæ reus est.
Prælati autem, qui tales in suis iniqui-
tibus perseverare sinunt, maxime
verò, si ob pecuniam, aliudve tem-
porale commodum punire negligant,
eisdem pænis subjacere debent. Græci
verò Sacerdotes, alique in Ordinibus
sacris positi, qui secundum gentis suæ
consuetudinem matrimonio utuntur,
si in carnis vitium lapsi fuerint, gravius
etiam quàm alij puniri debent, cum
eis liceat legitimo matrimonio uti.

SUMMARIUM.

1. *Pæne in Clericos majores fornicarios*
varia pro varijs temporibus constituta
fuerunt.

B

2. Ob-

2. *Observanda hodie pœna Tridentini.*
3. *Ita ut pœnas etiam incurrant Iudices Ecclesiastici Ordinarij, si taliter delinquentes tolerant, maxime ob commoda sua temporalia.*
4. *Quid Græcis Sacerdotibus consuetudo permittat?*

Notandum primò, de pœnis Clerico in sacris constituto inferendis, si in vitium fornicationis, aut incontinentiæ lapsus sit, variè constitutum reperimus; nam primis sæculis talis deponebatur *e. presbyter. 12. dist. 81. c. Sacerdotes 33. dist. 50. c. à multis 9. de arate & qualitate.* At verò in *e. 2. & sequentibus Tit. sequente*, per suspensionis, aut interdicti sententias, postea etiam excommunicationis, ac denique depositionis ab Episcopis suis tales Clerici coerceri iubentur. Videri potest *Abb. in e. sicut. n. 2. Tit. sequente.*

2. Denique in Trident. Concil. quod nunc observari debet, *Sess. 25. c. 14. de reformatione*, statuitur, ut si Clericus fornicarius, concubinarus, aut cum muliere suspecta extra vel intra domum suam consuetudinem habens, post primam monitionem à Superiore factam non abstinerit, tertiâ parte fructuum Ecclesiasticorum ipso facto privatus sit; post alteram verò monitionem, si se non emendaverit, fructus omnes beneficiorum amittat, & à beneficiorum administratione suspendatur, quamdiu Ordinario visum fuerit; sin autem post suspensionem iterum dictæ mulieris consuetudine utatur, beneficijs, officijs, & pensionibus Ecclesiasticis in perpetuum privetur, fiatque inhabilis, & indignus quibuscunque Ecclesiasticis honoribus, dignitatibus, beneficijs & officijs, donec post manifestam vitæ emendationem Superiori ejus visum fuerit, esse ex justa causa dispensandum. Denique verò si opus sit propter pertinaciam, & criminis repetitionem, excommunicandus est. Alij verò Clerici, qui beneficia aut pensiones non habent, juxta delicti qualitatem & contumaciæ perseverationem pœna carceris, suspensione ab or-

dine, inhabilitate ad beneficia, aliisque Canonicis pœnis propter dictum incontinentiæ crimen coercendi sunt.

Notandum secundò, Graviter delinquant, & pœnis Canonicis obnoxij fiunt Ordinarij locorum, eorûmque Vicarij & Visitatores, si Clericos concubinaros, aut ob mulierum familiaritates publicè suspectos tolerant, maxime si ob munera, vel alia temporalia sua commoda, punire, & emendare, cum populi scandalo, & Cleri de decore intermittant.

Notandum tertio, Orientalibus Sacerdotibus, cum à consuetudine sua contra priscos Canones introduceta utendi uxoribus, quas ante susceptum Sacerdotium duxerant, abstinere nollent, denique à Romanis etiam Pontificibus concessum fuit, ut Matrimonio uti possent: verum ut postquam Sacerdotes facti sunt, Matrimonium contraherent, aut perperam contracto uterentur, nunquam, ne in Oriente quidem permissum, aut approbatum fuit, sicuti bene annotatur in Gregoriana nota *super c. aliter. 14. dist. 31. vide qua docui lib. 5. tra. 9. c. 11.*

CAPITULUM XIV.

A crapula.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. in Concil. Lateranensi statuit, ut Clerici à crapula, & ebrietate diligenter abstineant, neque ad bibendum aliquis incitetur, cum ebrietas & mentis inducat obscuritatem, & libidinis sit incitamentum. Ille verò maxime abusus abolendus, qui in quibusdam terræ partibus invaluit, ut ad potus æquales se mutuo provocent potatores, atque is judicio talium plûs laudatur, qui plures inebriat, & calices fructuosiores exhaurit; si quis autem super his culpabilem se exhibuerit, atque a Superiore suo admonitus non emendaverit, ab officio vel beneficio suspendatur.

Clarus

Clarus est textus atque annotandus pro Cleri reformatione in Germania.

CAPITULUM XV.
Clerici.

PARAPHRASIS.

Innocentius III. in eodem Concilio Generali Lateranensi præcipit, ut Clerici officia & comæcia sæcularia, maxime quæ inhonesta sunt, non exercent, mimis, jocularibus, & histrionibus non intendant, & tabernas omnino evitent, præterquam ob necessitatem in itinere constituti, ad aleas & taxillos non ludant, nec ejusmodi ludis interfint; coronam & tonsuram congruentem habeant, & se in officijs Ecclesiasticis, aliisque bonis studijs diligenter exercent; vestimenta desuper clausa ferant, nec nimis brevia, nec nimis longa; pannis rubeis, aut viridibus, manicis & foccis confutitijis frænis, sellis, pectoralibus, aut calcaribus deauratis non utantur; cappas manicatas intra Ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui Sacerdotes sunt, aut personatum habent, nisi ob justam timoris causam, necesse sit, habitum transformare. Fibulas non ferant; neque corrigias auro, vel argento ornatas; sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis: Episcopi autem in publico, & in Ecclesia omnes superindumentis lineis utantur, nisi Monachi fuerint, quos monachalem habitum oportet ferre; pallijs verò diffibulatis non utantur in publico, sed vel ante collum, vel post collum connexis. De decente Clericorum vestimento videri potest *Clement. 2. hoc tit.* quæ innovata & ampliata est in Concil. Trident. *Sess. 14. c. 6. de reformatione, & iterum sess. 22. c. 1. de reformatione.*

SUMMARIUM.

1. Clerici, & multò magis Religiosi sæcularia officia tractare non debent.

2. Prohibetur etiam illis alea ludus.
3. Compelli debent per censuras ad coronam, & decentem Ordini habitum ferendum, si sint in sacris constituti.
4. Annulos gestare non debent, nisi sint in Dignitate Ecclesiastica constituti; aut, ut aliqui, minus tamen probabiliter, volunt, Doctores: Professoribus tamen Doctoribus usus annulorum non negatur.

Notandū primò. Clerici, & multò magis Religiosi, officia & comæcia sæcularia tractare non debent, secundum Apostolum 2. ad *Timoth. 2.* nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. Sæcularia autem negotia teneri debent, quæ mentem occupant, & à divinis ac pijs officijs abstrahunt, atque ad finem supernaturalem & salutem animarum, per se ac directè non conferunt. Vide, quæ dixi *lib. 1. tra. 5. p. 1. c. 8. n. 3.*

Notandum secundò. Clericis prohibitus est lusus aleæ, de hoc dixi *lib. 3. tra. 4. c. 21. n. 1. & 2.*

Notandum terciò. Clerici in sacris & beneficiarijs per censuras compelli debent ab Ordinarijs, ut tonsuram & vestem Ordini Clericali congruentem, non autem Laicalem & profanam deferant. Quæ de re vide *Clement. cit. & Trident. loc. cit.*

Notandum quartò. Clerici annulos gestare non debent, nisi sint Episcopi, vel in Ecclesiastici officij dignitate constituti. Ita etiam habetur in *Concil. Basileensi, de reformatione Clericorum*. Plerique tamen existimant, Doctoribus Clericis concessum esse, ut annulum ferant, cum hoc unum sit ex insignibus, quibus doctoralis dignitatis inauguratio perficitur, & sumunt argu. ex *Clement. 2.* ubi Doctoratus honor adeoque dignitas dicitur. Verùm contrarium ex *hoc c.* colligitur, quia licet Doctoratus honor sit in Ecclesia, non tamen est dignitas, nisi latè & impropiè. Canones autè significant, annulos aureos à Clericis ferendos non esse, nisi eis ex officio dignitatis competat; videlicet cum aliqua

B a supe-

superioritate, aut jurisdictione; sed neque argumentum illud ostendit, quia annulus symbolum est inaugurationis, quandoquidem etiam cingulum aureum, & quibusdam locis sertum, tanquam symbola & insignia doctoribus conferuntur, cum tamen consuetudo Ecclesie non permittat, ut postea Clerici doctores talibus in publico utantur. Excipiendi tamen sunt Professores scientiarum, quippe quibus superioritas & aliqua jurisdictione secundum leges competit in Studiosos.

CAPITULUM XVI.

Ex Litteris.

PARAPHRASIS.

Comes Pontinus Honorio III. significavit, quod aliqui suae regionis Clerici negotiationibus magis, quam divinis officijs dediti sint, & nihilominus clericali privilegio gaudere velint, neque statutis patriae subiacere; cum tamen ijs, si pro commodo ipsorum faciant, non minus, quam Laici utantur; ideo supplavit, ut dicitur Clerici vel compellantur, illicitis sibi negotiationibus derelictis, Ecclesiae servire, vel permittantur quoad facultates juxta regionis statuta, & consuetudines sicut saeculari subiacere. Respondit Honorius III. ad Episcopum loci, cum ea, quae de Clericis relata sunt, in Clericali Ordinis vituperium redundent, & ex Clericorum vita Laici non scandalum, sed honestatis exemplum accipere debeant, ideo mandare se ipsi, ut si Clerici, postquam tertio ab ipso moniti fuerint, a negotiationibus, quas praetermissis divinis officijs, exerceverunt, non abstinerint, quandoquidem ipso facto privilegium abiciant clericale, eos non defendat, quod minus secundum statuta, & consuetudines regionis, perinde ac Laici, in facultatibus suis jurisdictioni subiaceant saeculari.

SUMMARIUM.

1. Clerici gaudere possunt statutis & consuetudinibus Regionis, ubi habitant, quatenus ista illorum commode subserviunt, dummodo statuti eorum non repugnent.
2. Quod si tamen, praetermissis divinis officijs, saecularibus negotiationibus intendant, & ter moniti a suo Episcopo non respiciant, ipso facto amittunt privilegium clericale, quoad immunitatem a tributis & patrimonialibus suis, & taliter quaesitis facultatibus.
3. Possunt enim Clerici, non quidem per spontaneam renuntiationem, per delictum tamen amittere sua privilegia.
4. Defendendi tamen sunt per censuras a Praelatis Ecclesiasticis, si sine sua culpa, ad exactiones, & tributa solvenda, a saecularibus Magistratibus cogantur.

Notandum primo: Clerici gaudere possunt statutis & consuetudinibus regionis, in qua vivunt, quatenus ea ipsis commode sunt, ita colligitur ex *textu*, & *docuit lib. 1. tra. 4. c. 13. & in c. Ecclesia. 10. de constitutionibus*. Ratio est, quia & ipsi Clerici, si in communi vitae societate degant, cives sunt & membra Reipublicae, ergo communibus ejus commodis, & privilegijs fruuntur. Ex quo sequitur, quod etiam communibus Reipublicae legibus obligentur, dummodo statuti ipsorum, & Ecclesiasticae libertati non repugnent, sicuti docuit in citatis locis.

Notandum secundo: Si Clericus omisis Ecclesiasticis officijs, saecularibus negotiationibus intendat, postquam tertio a Praelato suo monitus est, nisi respuerit, ipso facto amittit privilegium clericale, quod attinet ad facultates suas, ita ut ex ijs, perinde ac cives Laici, Magistratui saeculari tributa solvere cogatur. Ratio dari debet, quia si Clericus post trinam monitionem canonicè

nonicè factam ab Episcopo, ad officia Ecclesiastica relictis secularibus negotiationibus non accesserit, incorrigibilis appareat, ut proinde saltem quoad facultates suas Magistratui seculari subiectus esse debeat; quæ simili ratione non pauci DD. tradunt, si Clericus in sacris ter monitus ab Episcopo, ut deleter arma iniqua, quæ dimisso habitu Clericali assumpsit, non paruerit, ipso facto privari eum omni Clericali privilegio, etiam fori, prout docui *lib. 1. tra. 5. p. 2. c. 5. n. 3.*

Pertinet autem dispositio hujus Capituli ad bona tantum, quæ sunt propria, seu patrimonialia Clericorum, sicuti bene notat *Suar. de censuris. disp. 22. q. 1. n. 17. Gl. his v. suis facultatibus.* ubi ait non propterea, quod Prælati e. g. officijs sacris neglectis, negotiationibus se immiscet, & à superiore suo ter monitus, desistere non vult, Ecclesiæ facultatibus præjudicium generari, quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare *reg. 76. in 6.* Sed non rectè, ut arbitror, hinc inferit *Abb. n. 10.* Si Prælati ex bonis Ecclesiæ negotiationem, illicitam sibi, exerceat, non obligari ad solvendum vectigal, & alia tributa, nam hoc ex isto c. non colligitur, & contrarium significatur in c. *Quamquam 4. de Censibus in 6.* Vide, quæ docui *lib. 4. tra. 9. c. 6. n. 9. v. deinde.*

3 Notandum terciò: Licet Clerici privilegia clericalia per spontaneam pactionem seu renunciationem amittere non possint *c. si diligenti 12. de foro competente c. Coniungit 36. de sententia excommunicationis,* tamen per delictum ex Canonis dispositione privilegia amittere possunt. Ita *Gl. his v. Cum factis,* & constat ex c. *unico hoc tit. in 6.*

4 Notandum quartò: Si Clerici, quod his temporibus frequenter accidit in Germania nostra, à dominis secularibus ad exactiones, & tributa adversus Ecclesiasticam immunitatem cogantur, Ecclesia sive Ecclesiastici Prælati ipsos defendere debent, videlicet per censuras, aliòsque concessos

modos; ita per sensum contrarium sumitur ex hoc cap. & tradit *Gl. recepta hic. in fine casus* addens, id bene notandum esse; & habet hæc doctrina locum, sive exactiones fiant in Bonis Ecclesiæ, sive in Bonis ipsorum Clericorum proprijs, seu patrimonialibus, uti apertè ex hoc c. colligitur, & admonet *Gl. v. suis facultatibus Abb. n. 4. Imola. n. 2. & dixi de hoc cit. tract. 9. c. 6. n. 9.*

CAPITVLVM VNICVM eodem in 6.

Clerici.

PARAPHRASIS.

Si Clericus Clericalis Ordinis dignitati ad eò detrahat, ut joculariorem, aut histrionem in publico agat, eamque ignominiosam artem anni spatio exerceat, ipso jure omni clericali privilegio privatus existit; idemque sentiendum, si tempore breviori exercuit, postquam ter à Superiore monitus, respicere neglexerit.

SUMMARIUM.

1. Clericatus est dignitas, latè sumendo hoc nomen.
2. Histriones, mimi, & qui has artes publicè exercent, infames sunt.
3. Et irregularitatem incurrunt.
4. Et, si degradientur, privilegia clericalia amittunt.
5. Ita ut ex probabiliore sententia cum ejusmodi Clerico deposito, nec Episcopus post emendationem dispensare possit.

Notandum primò: Clericatus est dignitas latè accipiendo hoc vocabulum, nam Clerici ratione Ordinis sui honoratiores & eminentiores sunt Laicis. *c. ult. dist. 4. junctè Gl. V. dignitas.*

Notandum secundò: Histriones & mimi, qui videlicet artem hanc in publico exercent, infames sunt, *L. 2. §. ait prator. & L. 4. ff. de ijs, qui notantur infamia.*

B 3

Di-

Dicitur autem exercere artem, non qui semel tantum actum egit, sed qui iterato, sicuti hic notat Anchoranus & Francus n. 3. quod vocabula signantia exercitium artis aut officij non verificentur ex uno actu.

3 Corollarium. Qui artem histrionis aut jocularis exercet, irregularitatem incurrit, quia omnes, qui Jure Civili infames reputantur, Jure etiam Canonico infames, & ideo irregulares sunt, sicuti docui *lib. I tra. 5. p. 5. c. 4. n. 2.*

4 Veruntamen non ideo statim, quod Clericus irregularis efficitur, etiam Clericalia privilegia perdit, nisi insuper degradetur; quare hæc est specialis pœna Clericis quibuscunque inflicta, ut si per annum continuum artem joculariam publicè exercent, vel breviori tempore, si post trinam Prælati monitionem non respuerint, ipso jure depositionem, & privationem omnium Clericalium privilegiorum incurrant: opus tamen est, ad hujus pœnæ executionem, declaratione Judicis Ecclesiastici, sicuti docui *cit. tra. 5. p. 3. c. 5.*

Similis pœna privationis ac veluti degradationis ipso jure lata est in *Clement. 1. hoc tit.* adversus Clericos conjugatos, imò etiam non conjugatos, habitum tamen laicali incedentes, si lanionum, aut macelliariorum, vel tabernariorum officium publicè exercent, & teritiò nominatim moniti, ut desistant, non

obtemperaverint; opus tamen est trips distinctâ monitione, ita ut non sufficiat in hoc casu una pro trina, teste *Gl. recepta in cit. Clement. v. 3. Suar. de censuris disput. 22. l. 1. n. 16.*

Sed dubium est, an cum ejusmodi Clerico deposito, & privato, Episcopus post pœnitentiam, & emendationem dispensare possit. Affirmat Joan. And. Anchoranus, Dominicus, & Francus in fine hujus cap. Sed arbitror negandum, quia hæc esset quadam restitutio in integrum collata personæ, quæ per universales Canones privata, & abjecta est: talem autem restitutionem facere, ad principem solum pertinet, qui est Papa. Confirmatur primò: generalis regula est, quod inferior non possit dispensare, aut relaxare in rebus pœnis Ecclesiasticis, jure universali inflictis, nisi ipsi expressè concessum sit; quæ causa est, ut Episcopi non possint dispensare in suspensionibus, quæ meræ pœnæ sunt, atque irregularitatibus, præterquam, si proveniant ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum ex cœssione Tridentini *sess. 24. c. 6. de reformatione.* Vide, quæ dixi *cit. tra. 5. p. 3. c. 4. n. 2. & p. 5. c. 9. Suar. de censuris disput. 41. sect. 2.* Confirmatur secundo: restitutio ista Clerici privati fiet cum præjudicio potestatis secularis, cui in Clericum ita privatum & degradatum jus acquisitum fuit, ergo non nisi à summo Pontifice fieri debet.

TITULUS II.

DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM.

CAPITVLVM I.

Inhibendum.

PARAPHRASIS.

Nemo Sacerdotum faminam, de qua suspicio sceleris esse possit, apud se retine-

re debet, aded quidem, ut nec matrem, amitam, vel sororem, cujusmodi personas conjunctas alioquin Canones permittunt, Sacerdoti liceat secum habere, si suspicio ac periculum mali subsit, quandoquidem instigante diabolo